

*Sapientia est pecuniae quaerendae intelligentia*; aut aliquid non grave, nec magnum continens, sic: *stultitia est immensae gloriae cupiditas*. Est haec quidem stultitia, sed ex parte quadam, non ex omni genere, definita.

Rhetor. II. 54, 55, 56. Quod aut totum, aut aliqua ex parte propter se petitur, *honestum* nominabimus. Quare quum ejus duae partes sint, quarum altera simplex, altera juncta sit, simplicem prius consideremus. Est igitur in eo genere omnes res una vi atque uno nomine amplexa virtus. Nam *virtus* est animi habitus naturae, modo, rationi consentaneus. Quamobrem omnibus ejus partibus cognitis, tota vis erit simplicis honestatis considerata. Habet igitur partes quatuor: prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. *Prudentia* est rerum bonarum et malarum, neutrarumque scientia. Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. *Memoria* est, per quam animus repetit illa, quae fuerunt. *Intelligentia* est, per quam ea perspicit, quae sunt. *Providentia* est, per quam futurum aliquid videt, antequam factum sit. *Justitia* est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Ejus initium est ab natura profectum, deinde quaedam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt; postea res et ab natura profectas, et ab consuetudine probatas legum, metus et religio sanxit. *Natura jus* est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis insevit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. *Religio* est, quae superioris cujusdam naturae (quam divinam vocant) curam caerimoniamque affert; *pietas*, per quam sanguine conjunctis, patriaeque benevolis officium et diligens tribuitur cultus; *gratia*, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria et remunerandi voluntas continetur; *vindicatio*, per quam vis et injuria, et omnino omne, quod obfuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur; *observantia*, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam et honore dignantur: *veritas*,